Responsum ad Protestationem, QVAM ORAtor Regis Gallorum, nomine sui Principis, Serenissimæ Angliæ REGINAE obtulit xx. die Aprilis,

ANNO DOMINI M. D. LX.

Londini

apud Reginaldum Vuolfium, Regiæ Maiest. in Latinis typographum.

Cum priuilegio Regiæ Maiestatis.

QVONIAM PROTESTATIO quędam, quæ primum ſcripto comprehenſa fuit, & à Gallico legato Sereniſs. Reginæ tradita, ex eo tēpore prælis in Gallia propagata eſt: in qua re, hoc unum Galli ſpectabant, ſicut ualde probabiliter colligi poteſt, ut homines de illorum factis melius ſentirent, quàm eorū merita requirunt: equidem licet principibus altercationes parum decorę ſint, nec hac inter illos uia procedi debeat, pręſertim in rebus arduis, quæ momentū tam magnū habent, tamen ne ſyncere cogitationes hominum integrorum, hac Proteſtatione Gallica deprauentur, niſi reſponſum opponatur, præſertim cùm eadem Proteſtatio Gallica, diu nunc per orbem terrarum publicè diſſeminata fuerit, & etiam nonnullis in rebus à primo exēplari ſcripto, & Gallici Legati manu conſignato, diſſideat, his cauſis effectum eſt, ut apud nos Reſponſio prælis informaretur, eiſdem omnino uerbis & ſentētijs quibus fuit ſuperior, qua Sereniſsima Regina prius ad Gallicam Proteſtationem uſa eſt: propterea uerò Latinè proponitur, quoniam homines noſtri Gallicè ſcienter & propriè uix loquuntur: & tamen hoc idem reſponſum, quantum quidem à nobis in eo

 fieri

fieri potuit, curatū est, ut etiā Gallica lingua diuulgaretur. Gallica uerò Protestatio planè fuit huiusmodi, longiorem ut Serenissimæ Reginę responsionem faceret, quàm aut Regina ipsa uellet, aut probaret. Et tamē Serenissima Regina breuitatis respectu, multa Gallorum prętermisit recentia facta, partim noua, partim astuta, quibus uerisimiliter credi potuit, & adhuc potest, non esse tam syncerás in illis, & paratas ad concordiā uoluntates, quàm ostentant. Qua in re, si adhuc se ipsi corrigere uelint, & bonam fidem adhibere, id in hoc pręsente Colloquio cognoscetur, quod nunc in Scotia institutum est, in quo Serenissima Regina planissimè constituit, ad omnes pacis conditiones suū Regalem assensum accommodare, quibus, de superioribus illatis iniurijs, honorificè satisfieri possit, & etiam quæ tales sint, ut regni Angliæ quietem & incolumitatem secum afferant, & hostiles ab eo auferant incursiones.



Responsum ad Protestatio-
NEM, QVAM ORATOR REGIS Gallorum, nomine sui Principis, Serenissimæ Angliæ Reginæ obtulit, 20 die Aprilis, M. D. LX.



VANQVAM SVA MAiestas ipsi Oratori, ad suam Protestationem, extempore breuiter quidem & apposite respōdit, referens interim explicatiorem responsionē ad aliud tempus magis idoneum: tamē quia illa ipsa Protestatio, in scripto, & ipsius Oratoris manu consignata, tradita fuit: in qua sedulò conficienda, & sumptū temporis spatium collocatū, & nauata opera uisa est: & quia etiam scriptum ipsum nititur uarijs allegationibus, quæ ab ipsa ueritate discrepantes sunt: uisum est suæ Maiestati, cùm ad plene edocendum ipsum Oratorem, in illis rebus, in quibus alioqui Orator ignorantiæ excusatione uti possit, tum ad iuste tuendum, quanta cum ratione, & honoris sui, & necessitudine suorum, omnia consilia atque actiones Serenissimæ Reginæ in illis rebus, quæ in ipsa Protestatione

testatione sunt cōmemoratæ, hactenus processerūt: curare & efficere, ut ad certos locos illius Protestationis, qui sunt maioris alicuius momenti, prout deinceps sequitur, quam primum responderetur.

Primò, opus non est excutere hoc in loco, causas illas, quæcunque ipsæ fuerunt, quibus Gallorū Rex Christianissimus, nuper defunctus hac uita, ad pacem cum uicinis principibus ineundam, confirmandamq; adductus fuit. Verum enimuerò, quæ consilia eo ipso tempore, contra suam Maiestatem, & statum huius regni, structa, institutaq; fuerunt, clarè admodum constat. Primum enim Romæ, tempore P. P. Pauli quarti, apertæ sollicitationes, & nulla non uia tentata est, ad improbandum ius suæ Maiestatis in hoc Regno, & ad confirmandum prætextus illos inanes, quos sibi sumit & arrogat Scotorū Regina. Deinde Cameraci, in ipsa pacis tractatione, quāta cōtentione usi sunt Oratores Galliæ, cùm inter reliquos ultrò citroq; habitos sermones, sensum omnem suorum consiliorum, propalàm indicarunt, insolenter nimirum sciscitando, cuinam alteri, nisi Scotorū Reginæ, Reginæ scilicet Angliæ, Caletum restituerent? De huiusmodi illorum uerbis, consilijs, & multiplici ab eis, eo ipso tempore, quæsita ratione, quæ singula ad apertum præiudicium, & uiolationem iuris suæ Maiestatis, atque eti-

am

am ad ostentandum iactandumq; prætextum illum Reginæ Scotiæ, intoleranter intenta fuerunt: plures testes, quàm Angli homines, facilè poßunt produci. Et hæc hactenus, ad respondendũ tanto pacis studio, tam sedulò commemorato in ipsa Protestatione, quo Gallorum Rex usus est erga suam Maiestatem, in illa pacis tractatione. Sed huic rei, hæc prætendi potest excusatio, quomodo iam à certis illorum, in hoc ipso negotio factitatum est, hoc omne nimirum illorum cõsilium, eo institutum fuisse, ut sua Maiestas hac ratione, ad pacem facilius perduceretur. Quæ allegatio, fortaßè aliqua, atque adeò probabilis eße potuerat, si iam conclusa stabilitaq; pace, non statim consecuta fuißent, tam certa exploratáq; huius motus inditia, atque id quidem non solum tempore Regis Gallorum nuper defuncti, uerùm, ab ipso eius iam obitu, hæc consilia sic creuerunt, seseque indies extulerunt, ut nihil tritius in ipsa Aula Gallica, nihil frequentius, in sermone exterarum quoque gentium iactatum fuerit.

Inter Pacis conclusionem, & Regis Gallorũ obitum, trimestre, plus minúsue spatium intercessit. In quo exiguo tẽpore, quàm uarijs in locis, insignia Regni Angliæ, in quadrum, unà cum insignibus regni Scotiæ, sunt compacta, nomine tum Reginæ Scotiæ, & Delphinæ Galliæ: & urbs Lute-

tia

cia, & multa alia Galliarum loca, testes esse possũt. Imò, uniuersus ille concursus hominum, qui confluebant ad uisenda illa solennia lustra, equestremq; decursionem, in qua Rex ipse uulneratus est, oculati testes fuerunt, magnæ illius insignisq; iniuriæ, quæ intentata tum fuit Regiæ Maiestati Angliæ, cùm, quia conspicua illa sedes Iudicum horum spectaculorum, insignibus Angliæ, cum insignibus Scotiæ coniunctis, splendide quidẽ conuestita, ornataq; fuit: tùm etiam, quia Delphini Caduceatores, in suis paludamentis, tempore harum celebrium decursionum, eadem ipsa insignia palàm usurpauerunt. Hoc factum Anglis plurimùm displicebat. Et Orator suæ Maiestatis plane perspiciens, quantum hæc res & præiudicij suæ Principi, & iniuriæ, recens iam factæ paci adferret: de ea grauiter conquestus est, qui ab his qui in magno Authoritatis loco positi fuerunt, hoc tulit respõsum, Maturũ huic rei adhibitũ iri remedium, nec fore opus, ut illius rei cura, amplius moueretur.

Præterea, Delphinius & coniunx eius Scotorũ Regina, præter illam iniuriam, quæ palàm ostentabatur, & passim diuulgabatur in Symbolis uestiarijs suorum ministrorum, in quibus symbolis, insignia simul Angliæ, Scotiæ & Franciæ, intexta fuerũt, etiam porro eo progressi sunt, ut titulum Angliæ & Hiberniæ sumerent sibi atque usurparent. Quo titulo,

tulo, in publicis suis scriptis, in Scotiam & alia etiam loca missis, usi sunt. Pro huius rei & certo argumento, & expresso exemplo, poni potest hæc illorum usurpata scribendi ratio, etiam sub sigillo data, FRANCISCVS, ET MARIA, DEI GRATIA, SCOTIAE, ANGLIAE, HIBERNIAE REX ET REGINA. &c. & in extrema scripti parte, Dat. Parisijs. &c. Anno Domini, Millesimo. &c Regni nostri, Scotiæ primo & decimo septimo, Anglię uerò & Hiberniæ primo.

Quomodo in confirmatione etiā fœderum, usurparunt itidem titulum Angliæ, non est illud quidem ignotum. Sed Orator Galliæ, forsitan optaret atque requireret, ut hæc omnia perpetua traderentur obliuioni, quoniam hæ res, uiuente dum huius Regis patre, sunt peractæ, & propterea optaret, ut consideratio huius rei, ab initio regni huius principis, exordiretur. Certum est, si hi motus in obitu superioris Principis, constitissent, tum quidem & præteritæ offensiones, facilius pacari, & nascentes etiam iniuriæ, unà cum Rege, funditus sepeliri potuissent. Sed hic temporum flexus, nouaque rerum conditio, non facile permittere uidebatur, ut Reginæ Scotiæ causa, & titulus, quem prætendebat, tum temporis conquiesceret, cum eius coniunx, regno in Gallia iam potiretur, cum illa ipsa facta esset Francorum

Regina: cùm penes eius auunculos, summa, & pene sola, rerum omnium gubernatio esset. Quae singulae opportunitates, sic eius potentiam & opes adauxerunt, ut ad promouendum eorum propositum, soluta omnia iam atque parata esse uiderentur.

Post obitum Regis, primo quoq; tempore in Scotiam nuntius allatus est, eorum Reginam, reginam iam esse regnorũ Franciae, Scotiae, Angliae & Hiberniae, nunc tempus illud aduenisse, in quo tempore, omnia haec consilia, in uulgus essent indicanda: Omnes res in Reginae familia, Capella, Camera, atq; uestiario, ueteribus ablatis insignibus, & additis nouis Angliae, exornatae sunt: Noua sigilla imprimuntur, Commissiones nouae factae sunt: Noua edicta promulgantur, & id quidem in rebus ualdè uulgaribus: Varia noua priuilegia, multis itidẽ plebeis hominibus, atque artificibus in Gallia, concessa sunt. Et ad hunc scilicet modũ, facies rerum in Gallia, post obitum regis, sic immutata est, ut quid struerent atque molirentur aduersus Angliam, palàm uniuerso terrarum orbi pateret.

Et cùm in Oratoris Protestatione scriptum est, nihil praeteritum esse à suo Principe, quod uel ad satisfaciendum obligationi obsidum, pro restituendo Caleto, uel ad tuendum mutuum inter suos utrinque subditos commercium, spectare queat: permirũ sanè

uideri

uideri potest, Oratorem uelle hoc ipsum, uel scripto uel sermone, tàm asseueranter affirmare, cùm per se, ipse probè intelligat, ab usque secundo Aprilis proximo superiori anno, cum pacis tractatio conclusa iam fuerat, ad decimum quintum præsentis Aprilis, quartum obsidem nunquam impetrari potuisse, prout diserta fœderis uerba constituunt atque iubent. Atque hoc modo, à mense Maio, usque ad Aprilem, tres solummodo obsides sua Maiestas obtinere potuit, quanquã seriò quidem agebatur de hac ipsa re, cum ipso Gallorum Rege, cum suis Consiliarijs, cum assiduo hic eius Oratore. Et agebatur etiam, ut de re quæ ad diminutionẽ honoris suæ Maiestatis ualde spectaret, si nimirum tàm apertus fœderis articulus uiolaretur. Vnde planè constat, quanto iam tempore, ius huius confœderationis, à Gallorum Rege uiolatum fuit, cuius resarciendi cura nulla dum suscipi uideatur. Et tamen in tàm conspicua fœderis uiolatione, dicendum scilicet est, nihil non præstitisse Gallorum Regem, quod ad sartum tectum conseruandum articulum de tradendis obsidibus, possit pertinere.

Et perinde etiam probabile est, quod adfertur de æquo communis commertij iure inuiolabiliter conseruato, cùm reuera multæ iniuriæ, factæ uarijs Anglis Mercatoribus, sine ullo remedio, in moras so-

lummodo sumptuosas, hactenus sunt relectæ. Et in loco Iudicij, uisum est certo cuidam magnæ istic authoritatis uiro, iustum esse responsum, repudiare decretum pro Anglo mercatore factum, hoc solum nomine, quia scriptum illud, hoc titulo notatum fuit, Pro homine Anglo. cùm in ipsam causam nihil omnino inquisiuisset.

Quàm incredibili inhumanitate, Dominus Baro Greius istic acceptus est, & quibus etiam authoribus: uarijs nobilibus in Gallia, ualde compertum est, cùm uno facto, unoq; tempore, & illum Parisijs, periculum mortis, & suos in Anglia, tristis familiæ ruina peue oppressisset.

Summa illa iniustitia exercita in puellũ D. Cottonis filium, in bello quidem liberum, in pace nunc captiuum, uel eò nomine memorabilis est, quia tàm iusta scilicet ratio illius detinendi, allegata est, nimirum quia is qui hunc detinet, filium habet in Flandria, captum apud D. Quintinum, ubi Regi Catholico Angli militarunt: Et propterea æquum scilicet esse, ut puellus Anglus detineatur in Gallia, donec Gallus ad suos remittatur è Flandria. Quæ res incredibilem arguit illorum maleuolentiam, intentam in nationem Anglicam, quia Angli uires suas cum Rege Catholico apud D. Quintinum cõiunxerunt. Hæc namque causa, quanquam priuati

hominis

hominis maximè propria sit, tamen quia eius aut nulla omninò aut leuis admodum consideratio, habita est, & quia ad eā causam sic responsum est, à quibusdam hominibus, summæ authoritatis atque loci, apud Gallorum Regem atque Reginam, aliquid ponderis in se habere, uideri debet.

Verùm ut Orator Galliæ, rem ipsam melius intelligat (qui omnia hæc, leuia ducēda esse iudicat) quod signū maleuolentiæ euidentius potest ostendi, quàm uim offerre, aßiduo istic Maiestatis suæ Oratori? Cuius domesticus famulus, è publica platea, iußu Auunculi Reginæ, qui Le grand Prieur nominatur, per uim abductus est. Is, cùm rogaretur, ab Oratore suæ Maiestatis, ut suum sibi redderet famulum, respondebat, se, pro suo arbitratu, de ea re uelle statuere. Quod responsum, cum eßet periniquum, cumque Orator intelligeret, famulum suum, in triremes pro Remige, esse amandatum: res allata est ad Ducem Guisium, cuius responsum fuit admodum humanum, qui postulabat, ut Orator in meliorē partem acciperet responsum sui fratris, se enim curaturum, ut famulus eius, Marsilia reuocaretur.

In quo responso, Orator acquieuit. Sed cum expediuisset certum nuntium, unà cum literis usque Marsiliam, longe quidem Parisijs distantem, reuersus est nuntius absq; illo homine, absq; ulla spe.

Atq; tandem orator, cùm nihil proficeret querimonia, non frustrà amplius in ea causa laborandum esse iudicauit, & famuli sui iacturam, siue cædem ut potuit, ferre cogebatur. Hæc beneuolentiæ demonstratio, sese extulit, intrà decem dies, post obitum Regis.

Nuper etiam, in hoc proximo superiori mense Martio, quanta immanitate, intrà suos etiam parietes, tractatus est, cùm in eum aliquot sunt displosa tormenta? Quæres, ex illorum, apud quos diuersatur, sermone melius quàm Oratoris querela, intelligitur, qui pro remedio iustitiæ, silentij patientiæq; subsidio, uti satis anteà edoctus fuerat. Auxilia etiam impertita à Gallis, Piratis Anglis, pugnant apertè cum Oratoris Protestatione. Contrà uerò, Sereniss. Reginæ studium amputandi omnes offensionum occasiones, illustri modo apparet, ex eo, quod superiori mense Iunio, Classem suam, non sine grandi sumptu, emiserit in mare, tum quidem ualdè infestum prædonum latrocinijs, quibus ipsi Galli potissimum & Portugallenses, miserrimè sunt uexati, cum hi ipsi prædones, & receptum, & subsidium in Gallia habebant, id quod planè cõstat ita esse, quia aliquot ex his Piratis, adhuc in Gallia uitam suam traducunt.

Priuatæ istæ causæ omnes, silentio essent præte-

reundæ

reundæ, nisi Orator Galliæ edocendus esset, longè aliter actũ esse cum sua Maiest. & gente Anglica, quàm ipse in sua speciosa Protestatione conatur ostẽtare: cuius uerba concinnè quidem constructa sunt, ad ipsius institutum, sed his rebus nixa fundataq́; potißimum, quæ cum ipsa non congruunt ueritate. Ex rebus enim cùm ante, tùm post ipsius regis obitum, ad hunc modum actis, is uerborum sensus, & ea animorum uoluntas colligi non potest, quam orator tantoperè probare, persuadereq́; laborat.

Pergit igitur ad alias causas, in quibus plus firmamenti collocat, & ait Serenißimam Reginam duos exercitus instruxisse, & alterum mari, alterũ terra misisse in Scotiam, quo tempore Gallorum Rex, certos milites, ad reducendos Scotos ad iustam obedientiam, eò etiam traiecit. Id quod dicit suam fecisse Maiestatem, cõmotam zelotypia quadam, quam concepit ex istis sic transmißis militibus, à quibus unà cum alijs nouis copijs posteà traijciendis, pertimescendum fuit, ne Angliæ regnum inuaderetur. Cuius rei, non leues suspitiones collectæ, sed apertæ minæ ostensæ fuerant, cum Gallorum iam Scotorumq́; simul Regina, titulum Regni Angliæ, insigniaq́; sumpsit sibi, atque arrogauit. Quod hoc in loco proponitur, aliqua quidem ex parte uerũ est. Quid enim aliud suæ Maiestati fuit faciendum?

Potuit

Potuitne sua Maiestas suiq; Consiliarij, cùm intelligerent, quanta contentione laboratum est Romæ, ut Regia Maiestas declararetur illegitima huius Regni Regina, utq; Regina Scotiæ, istius regni iusta Regina comprobaretur? cùm perspiciebant quomodo Gallorũ Rex, coniunxq; sua, sui iuris nomine, uarijs modis hoc regnum sibi uendicauerant? titulum & insignia eius usurpauerant? ius suũ prætensum, etiam orbi diuulgauerant? cùm iustis modis postulatum est, ut ab istis Consilijs, factisq; desisterent, illudq; facere noluerant: sed omnibus modis, uires, classem, milites, munitionem, commeatum, undiq; procurauerant: E Germania nouas copias, & ad eas transportandas, naues euocauerant: Scriptis Coronellos solicitauerant, ut illi milites suos instigarent, expeditionem suscipere, uel in Scotiam, uel in regionem Scotiæ uicinam, omnium rerum abundantia affluentem, & prædarum plenam, in qua nullus miles Germanus, longo iam tempore fuerat. Cùm hæc omnia, grauissima rerum momenta, suæ Maiestati, suisq; consiliarijs, probè essent explorata: leuiter ponderanda fuerunt? An Regni Angliæ Maiestas à fido & forti Anglo populo, tàm uili æstimanda? An uniuersorum quies & singulorum salus, tàm ignauè prodenda? An illa, quæ omni iure humano, expressa Dei uoluntate, communi populi consensu

consensu atque studio, iustissima Regina est, permitteret ut his, qui iniustissime hoc regnum sibi uendicant, concedatur, ut eo, exercitum recta traducerent, unde maximae opportunitates, optata facultas, & facillima patet uia, ad inuadendum in hoc regnum, & ita tandem ad perficiendum, quod in proposito, uotoque potissimum habent? Minime permittet, nunquam sinet.

Recens illa foeda insidiosaque Pacis uiolatio, tempore Edouardi sexti, temporibus turbulentis hic domi, quando Gallorum Rex, contra suum honorem, contra commune foedus, contra solenne iusiurandum, subitam, nec opinatam inuasionem in Anglos fecit, & primum loca, quae Hambleteaw, atque Blacknesse nominantur, occupauit, & deinde Bononiam assequutus est: nec dum ex Anglorum effluxerat memoria, nec in posterum (credo) unquam excidet.

Iactura Caleti, in recenti adhuc mansit memoria. Atque ut breuiter concludatur hic locus: quae fides adhibenda fuit his, qui armati, & id in Scotia, Angliae regnum sibi uendicarunt?

His de causis, necessarium fuit, ut milites, terra, marique in armis essent, quanquam terrestres copiae, superiore aestate, hyemeque non collectae, sed sustentatae eousque sunt, donec maior aliqua prouocaret necessitas.

Classis uerò, primum missa est Scotiam uersus, ad commeatum transportandum Baruicum, & si opus requireret, operam suam darent, curarentque, ne maiores copiæ in Scotiã, è Gallia trai'cerentur. Quæ classis, nulla prædatione, nullo hostili more, in Gallos usa est, præterquam quod certas naues Gallicas ab appellendo in Scotiam, inhibuerat: Quæ naues, cùm essent sic inhibitæ, nihilominus tamen libertati sunt milites restituti, concessaque illis est facultas, terra marique, unà cum suis bonis, domum redeundi.

Praetereà, uidetur Orator in sua Protestatione duas res adferre, & utrasque ut ipse præsefert, maioris alicuius momenti, Alteram nullas comparatas esse copias à Gallis, nisi ad coërcendam rebellionem in Scotia, Alteram autem, quòd Rex Gallorum, quoties expedierat ullas copias in Scotiam, hoc enim prius significaßet suæ Maiestati, ut nullã conciperet suspitionem de numero ac multitudine militum, ideoque iudicat ipse, solerter à Gallis, cõsiderateque prospectum fuisse, ut sua Maiestas opus non haberet, uel mari, uel terra, ullo armato milite. Reuera, ex rebus consequentibus planè apparet, hoc ipsum fuisse illorum propositũ, nihilque illos maluiße, quàm ut postea etiam, & minus parata, minusque potens eßet, ad resistendum illorum institutis inuasionibus. Sed Deo habendæ gratiæ, hæc prouida

solertia

solertia, non multum illis hactenus profecit.

Quod attinet ad rebellionem in Scotia, siue illa nulla omninò fuit, siue qualiscunque fuit ille tumultus, non tanto apparatu uirium ut sedaretur, opus erat, aut si qui omnia obedientiæ repagula istic perfregissent: tantæ copiæ tamen ab omnibus rebus sic instructæ, & ex tot locis comparatæ, ad eos comprimendos, non erant euocandæ. Imò, quicquid turbarum accidere potuisset in illo Regno, tantus tamen magnorum tormentorum apparatus, non ad pacandam Scotiam ullum omninò usum, sed ad turbandam, inuadendamque Angliam, multum habere momenti, uideri quidem potest.

Quis ergò iure, suæ Maiestatis consilium queat repræhēdere, si prudenter ab ea prospectis his Gallorum propositis, fortiter sese illis opposuerit, & terra marique, cùm suum honorem, tùm suorum salutem, omnibus modis defenderit?

Et quanquam ad Scotorum gentem propriè pertineat, suas calamitates modo quo possunt humillimo apud suam principē deplorare, & ostendere, quàm alieni sunt ab omni inobedientia & rebellione: tamen quia Orator Galliæ obijcit suæ Maiestati suppetias latas Scotis, plenè & fusè intelliget, quid sua Maiestas de toto hoc negotio, motuque Scotico sensit, ut inde planè iudicet, suam Maiestatem ab omni

propugnatione pro rebellione, maximè esse alienam. Quam rem, sua Maiestas sic & natura abhorret, & iudicio detestatur, ut in omni negotio rebellionis subditorũ contrà suum principem suscepto, (si Princeps hoc admittat) parata sit, non solùm uoluntate, sed etiam uiribus, Principis causam tueri, atque defendere.

Qui Scotis obiectant, exprobrantq; rebellionẽ, rerum, aut præteritarum obliuione, aut præsentium ignorantia sic laborant, ut non uideant, Scotos potius præclaram mereri laudem, qui longè contrariã rationem, his temporibus sunt secuti. Decimus septimus iam annus est, cùm Iacobus quintus Scotorum Rex, ex hac uita emigrauit, relinquens post se hanc præsentem Scotiæ Reginam, uagientem in cunis, & admodum paruulam, sub cuius infantia, Scoti omnes, hanc ipsam principem, domi inter eos educatam, tàm fortiter, constanter, cum summo uitæ & rerum suarum omnium discrimine, defenderunt: ut par obedientiæ exemplum, in literarum monumentis, rarò quidem possit inueniri.

Obscurum enim non est, quomodo Dux de Chatstelleraut, cui nunc rebellionem obijciunt, à Scotis proximus habitus hæres, & supremus Gubernator Regni, tredecim aut quatuordecim annos, gubernacula istic rerum sic est moderatus, ut sua princeps

tum

tũm paruula, in magna quidem securitate conseruaretur. Quot uiri uitam profuderunt, in tuendo suo ergà principem officio? Quot etiam qui nunc rebelles habentur, uno die, unoq; praelio, in quo multa millia hominum ceciderunt: & se, & sua omnia, in praesentissimum discrimen obiecerunt: orbi quidem cognitum & manifestum est. Constans permansit, & nunc etiam permanet haec illorum obedientia, & illius immutatae, ne leuis quidem suspitio apud ullos homines, uel excogitata est, usque ad illud tempus, cum Regina nupsit Delphino in Gallia. Cum gubernatio regni & rerũ immutata est in Scotia, cùm Princeps abfuit à patria, cum Regio ipsa insolentia peregrinorum militum est miserrimè uastata, leges euersae, sublata iudicia, libertates oppressae: Cum suprema Regni munera atque dignitates, in Gallorũ manus sunt traditae: Cum Castra, arces, & munitiones in Gallorum potestatẽ sunt redactae: Cum adulterata est purior omnis illius Regni pecunia, atque id, ad usum solummodo certorum priuatorum Gallorũ in Scotia, qui fortuna egentes, natura tam sordidi atque auari sunt, ut ad pecuniarum extortionem nati esse uideantur. Quae una res, ad uniuersi Regni calamitatem, & singulorum extremam miseriam atque inopiam, spectat atque tendit: Cum milites Galli, uiuentes diu sine ullo stipendio, rapiente

entes ubique absque omni legum metu, tandem obtinent è Gallia adulterinam pecuniam, publico edicto uetitam, & illegitimã, & duobus annis ante in Gallia, ad ualorẽ non quidem uiliorem, sed omnino nullũ redactam: quae pecunia in Scotiam recepta, & nouo coactoq; extra modum ualore, per edictum ei imposito, multas incommoditates secum in illud regnũ importauit: Cũ amplissimae Abbatiae, & maxime dignitates Ecclesiae, nobilibus Gallis atq; generosis sunt donatae, praeter multas alias infinitas, deploratasq; populi illius calamitates atque oppressiones factas, contra fidem, contra pacta, contra promissa Gallorum. Quae uniuersa mala, hi ipsi Scoti, qui nunc rebellionis nota, cum incredibili illorum dolore, ita sunt inusti, sic dum sustinuerunt, ut hactenus obedientiam Principi suae non denegauerint, sed omnibus humillimis modis, uarijsq; temporibus conquesti fuerint de his miserijs, apud D. Regentem, Reginae matrem, postulauerintq; ut his malis remedium adhiberetur. Quibus, non responsio reddita, sed uis oblata illataq; fuit. At uerò cum haec mala indies magis ac magis accreuerunt, cum diligenter considerassent Reginam suam nuptã esse in Gallia, nullam habere sobolem, absentẽ esse à patria, esse mortalem, ut communis fert humanitas, regnum Scotiae esse in mera potestate manuq; Gallorum, de cuius iniusta

iusta & insolenti gubernandi ratione, nimis erant certi, incerti omninò quid fieret Regno Scotiæ, si quid humanitus Reginæ eorum accideret, ipsa rerũ temporumq; necessitate sunt compulsi, sese colligere, qui erant ex omni nobilitate, statuq; illius Regni primarij uiri, ut prouiderent, quomodo se ac suos, contra Gallorum milites, statũ Regni interturbantes, defenderent.

Interim tamen non destiterunt humillimè supplicare uiduæ Reginæ Scotiæ, ut misericordiam caperet afflictissimæ iam conditionis Regni suæ filiæ, ut benignè acciperet eorum obedientiam, ut remoueret ex eo Regno externum militem: ut pateretur regnum Scotiæ ab aliorum, & inuasionis metu, & subactionis periculo, liberum esse: denique, ut permitteret idem Scotiæ regnum, in pristino suo statu auitaq; libertate, quomodo longa iam seculorum serie durauerat, his etiam temporibus permanere.

Quanquam hæc omnia sunt uerissima, tamen nunc concedendum est, atque id, quia Galli hoc postulant, ut maiores militum copiæ indies in Scotiam traijciantur, ut Regina Angliæ acquiescat speciosis uerbis, omninoq; credat, omnem hunc belli apparatum, ad rebellionem quandam in Scotia coërcendam, esse institutum: ut sit relligio, fidem Gallis ulla in re abrogare: ut, licet Galli sedulò laborauerint, ut eorum

pro-

propositum Romæ comprobetur: licet multis alijs modis, apertè, hoc Regnum sibi uendicauerint, licet scribant, in scriptisq; diuulgent, illud ad se pertinere: licet in ore omnium ferè gentium iactentur eos inuasuros in hoc Regnum, & in discrimen etiam aliquod perducturos, nisi maturè prouideatur. Imò licet multi huius regni amici, crebrò admonuerint & ipsam Serenissimam Reginam, & uarios ex suis subditis de his Gallorum consilijs, & inter alios, quidam etiam è Gallia, magnæ experientiæ uiri, qui iniustum hunc suorum Principum inceptum, probare non possunt, sed pacem atque concordiam potius expetunt, ueriti quidem non sunt, prout facultas tulit, admonere nobiles uiros huius Regni, ut cō tra hos conatus, maturum remedium procurarent. Denique licet tanta fuerit bellici apparatus magnitudo, eaq; conditio, ut non ad leuem rebellionis tumultum, in Scotia pacandum, sed ad alios maiores rerum motus ciendos, institui uideretur, nihilominus tamen, propter unum & alterum sermonem habitum à D. Noaillés, illorum Oratore apud Serenissimam Reginam, uarijs temporibus, cum Gallorū copiæ præteruectæ iam & transportatæ erāt, qui asserebat semper, nihil indè mali ac detrimēti Angliæ euenturum, quanquam satis cognitum fuit illius sermonem, cum militum numero nunquam cō-

gru-

gruere, cum sua Maiestate, quasi expostulandum est, illam opus nunquam habuisse, quicquam dubitare, de syncero Gallorum Regis erga eam animo atque proposito.

Hoc genus argumenti parum ponderis in se habet, nec longo eget responso. Gallorum Rex, eiusque coniux, apertis factis, & omni quo possunt modo, demonstrabunt orbi, se Regnum Angliæ sibi uendicare, & illius Oratoris nuda uerba persuadere debent, nihil tale quicquam ab eis uel cogitatum esse. Hoc Regnum petendum est à Principe, re ipsa atque factis, & credendum est ministro in sermone, atque dictis. Si locus esset reliquus maiori suspitioni, de eorum proposito, hæc ipsa tam speciosa admonitio Oratoris ad eundem, nouum etiam suspitionis cumulum adijceret. Agebatur sepenumerò cum ipso Oratore, de his iniurijs factis à Rege Gallorum, eiusque coniuge, sed nullum commodum responsum unquam obtineri potuerat: sed nouæ indies iniuriæ, ac maiora semper pericula, magis magisque struebantur.

Vbi præsefert Orator Galliæ, laudabilem esse Regis Gallorum uoluntatem, studiumque quietis, qui uires suas in Gallia sustinuit, ut omnis uitaretur suspitio, rei ipsius ueritas optimè animaduerteretur, si probè consideratum fuerit, quis modus adhibitus

est in sustinendo copias, & classem Marchionis Dalbeuf: qui cum dimidiatum iam cursum suũ confecerat non reuocatus, sustentúsue Regis Gallorum iussu, sed apertè contra illius uoluntatem, tempestatũ impetu iactatus, domum se recepit. In quo tempore, aliqua nauium militumq; facta est iactura, & magna munitionum uis, in Galliam est reuecta. Vtrum, quod Classis denuò est sustenta, & utrum secundus ille Marchionis discessus à Depa, ex regis Gallorũ mue uoluntate, studioq; quietis, an ex eo, quod naues suæ Maiestatis, in Frith Scotico freto, eo ipso tempore starent, contigerit, Galli ipsi optimè norunt.

Et cum pergit Orator, declarando Principem suum, cum animaduertisset suam Maiestatem non leuem concepisse suspitionẽ de tantis copijs in Scotiam traiectis, requisiuisse & postulasse à sua Maiestate, ut studium suum atq; operam interponeret, ad pacandum hos motus in Scotia, quo confecto, illum facilè ablaturum esse omnem eius de istis tantis copijs conceptam suspitionem, cum is ipse, tum easdẽ in Scotia diminuere, & magna ex parte in Galliam reuocare, in animo haberet.

Hoc ipsum postulatum, sua Maiestas sæpè iam ante apud Gallorum Regem urgebat, partim per Gallicum hic Oratorem, partim, per Oratorem suum

um in Gallia: In qua re, non redditum ullum responsum, sed tempus sic frustrà semper consumptũ est, ut indè graues impensas sustinere, in alendo tãto spatio tot milites, sua Maiestas coacta fuerit, expectando è Gallia responsum. Orator ipse haud ignorat, quomodo in initio proximi mensis Februarij, seriò agebatur cum D. Noaillés de hoc ipso negotio, & postulatum ab eo est, ut certiorem faceret suum Regem, Maiestatem suam non posse diutius ferre, tot ei factas iniurias, nec posse quidem ex animo suo deponere iustas illas suspitiones, quas de tanto illo apparatu belli in Scotia, conceperat. Et propterea nomine suæ Maiestatis oblatum fuit, si idem probaret Gallorum Rex, suam Maiestatem operam suam interpositurum, ad pacatè constituendum hoc negotium Scoticum. Et si quis denegaret suam obedientiam, se opem ac opes suas, ad eundem coërcendum, libenter allaturam: Atque hoc modo copias illas facilè posse amoueri. Sin uerò ullæ aliæ controuersiæ essent inter suas Maiestates, has posse tractari commodè, componiq; per certos utrinque Commissarios. Cum hæc essent proposita Oratori, uisus est non accipere illam partem oblati suæ Maiestatis, ut ipsa sese interponeret, ad compescendos hos in Scotia motus. Aiebat enim ducem de Chastelleraul, & alios quoque supplicauisse Gallorũ Regi,

ut uenia illis condonaretur: & propterea se esse in hac sententia, eam rem, hac uia ad exitum perducatum iri, at (inquit) nihilominus, Principem meum de hac re faciam certiorem, & apparet quidem, eũ ita fecisse. Nam statim post hunc sermonem, expeditus huc est, Monsieur de Ceure, assiduus hoc tẽpore, hic Gallorum Orator, fide illi & authoritate commissa, (ut ipse quidem ostendebat) audiendi omnes suæ Maiestati factas iniurias, ut ei in singulis satisfaceret. Quid præstitit, ipse potest optimè explicare. Et quia ab eo præteritus est huius loci certus ordo, & aliam rationem sequitur: non incõmodum erit hoc negotium, plenè explanare. In primo, suo sermone habito, cum Serenissima Regina, & suis Consiliarijs, auditis quærelis, uisus est ualde paratus esse, atque propositus, ad nauandam operam suam, ut remediũ omnibus malis, primo quoque tempore adhiberetur, aiebatq́ꝫ se de hac re scripturum ad suum principem, & præ se tulit sibi esse dolori, se hic prius non affuisse: quasi in his negotijs, longe plus boni præstitisset, quam anteà præstitum fuerat. Paucis interiectis diebus, literas accepit è Gallia: quarum occasione, in nouum sermonem ingressus est, cum suæ Maiestatis consilio: & tum uniuersum negotium, distributum fuit in tria potissimum capita; Nimirum, de arrogatis insignibus, de

usura

usurpato titulo, de reuocãdo milite e Scotia. Intercolloquendũ, multũ temporis consumebatur. Quæ res, Consiliarios multũ offendebat, & Oratoris cõsilia magis suspecta reddebat, tandẽ tamen Orator ipse sermone suo uisus est ualde propendere ad concordiã ineundã. De insignibus (inquit) licet Regina Gallorũ, causam, & eã etiã aliq̃ habeat, cur illa gestet cũ aliqua differẽtiæ nota, ut propinquitas sanguinis, qua cũ Regina Angliæ coniũcta est ostẽdatur: tamẽ Prĩceps suus facile persuaderetur, ut tantũ in hac re concedat, quantũ ratio postularet, si inde sua Maiestas aliquã offensionis suspitionẽ concipiat. De titulo uero, asseuerãter adfirmabat, Regẽ Gallorũ nunquã eo usum fuisse. Quod aũt Regina uteretur, Regẽ uelle curare, ut ab eius usurpatiõe omnino desisteret. Sin uero, ad eã rem adduci nollet (quoniã eã cõpellere ut relinqueret, non potuit) illũ potius eam in Scotiã ad suũ Regnũ amandaturũ, quã ulla discordia, ea de re, inter Galliã & Angliã exoriretur. Cuius sermo, cũ & ualde serius, & permirus etiã uiderteur, nõ nihil cõmouebat cõsiliarios, ut ei ĩ hac causa maiorẽ fidẽ adhiberent. De copijs uero in Scotia, suũ principẽ scripsisse, ut oẽs amouerẽtur, exceptis 5. signis, sperare tamen, se posse persuadere suo principi, ut 4. tantũ istic relinquãtur. Post hunc sermonẽ, et post certa alia cõsilia ab utraq; pte proposita, cõmuni con-

 muni con-

consensu, constitutum fuit, ut hæ res, ab utraq; parte inscriptū & articulos referrentur: Quod factū est à Serenissima Regina, neq; id per modū leges præscribendi & statuendi, quo modo Orator in sua Protestatione ait. Et quanquam Orator pro sua parte non scripsit, uti promiserat, impeditus negotijs, (ut ipse aiebat) tamen prædicti Articuli, illi ostendebantur, & eos perlegebat, quorum summa has res continebat. Primum, ut gestatio insignium omnino cessaret: dein, ut titulus deleretur: Postremò, ut obedientia à Scotis agnita, præstitaq; eorū Principi, copiæ militum Gallorum è Scotia reuocarētur: atque id intra uicesimum Martij, & secundum Aprilis, & eo etiam modo atque proportione, ut milites Angli, eodem tempore, itidem domum reuocarentur. Gallis uerò militibus sic reuocatis, liber commeatus, & fides publica daretur, ut uel mari utentes commoditate Anglicarum nauium, uel terra, pro suo arbitratu, ad suos in Galliam se reciperent. In his rebus celeritas postulabatur, quia à mēse Ianuario, terrestres copiæ fuerant iam collectæ. Et ualde expetebat sua Maiestas, ut hæc concordia terminaretur cum celeritate, antequam oportuniora Anni tempora elaberentur, ut & commodius suos dimitteret exercitus, & facilius euitaret periculum, noui alicuius in Gallia bellici apparatus.

Inceptū

Inceptum est hoc colloquium secundo Martij, & quaesitis dilationibus per Oratorē Galliae, decimus dies fuit, antequam transmissae fuerunt literae. Nunc momentum rerum harum omnium, positum fuit in responso his litteris reddendo. Et ex hac una ipsa re planissimè constat, utra pars ad ineundam concordiam, propensior fuit. Cum articuli exhibiti sunt in Gallia, statim causae quaerebantur ad culpādum Oratorem hic in Anglia, illum nimirum esse transgressum fines suae commissionis. Et propterea, Episcopum Valentinum huic causae responsurum. Is huc accessit paulo post. Sed hic Episcopus, qui hac uia in Scotiam transire in animo habuit, ad obeunda certa negotia, quae ei mandata sunt, planè adfirmabat, se nullam habere Commissionem respondendi ad hos articulos, nec ullo modo attigit ullam rem, quae spectaret ad satisfaciendum suae Maiestati, pro tot ei factis iniurijs. Sed contrà, asseuerabat gestationem Insignium Angliae, per Gallorū Reginam, in optimam partem potius à sua Maiestate accipi debuisse, uti rem ad honorem domus Anglicae omninò institutam, affirmans etiam neminem esse in Gallia, qui crederet hanc rem ullo modo offensae esse suae Maiestati potuisse. Ex hoc simulato, subornatoq; sermone, quis colligere potuerat synceram ullam, honestámue cogitationem in

hoc

hoc Episcopo fuisse, qui per se satis intellexit, quã absurdum sit dictu, eam quæ tantoperè contendit, ut declararetur Angliæ Regina, quæ appellat se ipsam Angliæ Reginam, cogitauisse unquam, ut per gestationem insignium Angliæ, aut honorem aut rem gratam facere Reginæ Angliæ uideretur? In solenni illa celebriq; Gallorum Reginæ, superiori mense Nouẽbris, ingressione in Chastelerault, nihil tali colligi poterat, ubi Insignia Franciæ, Angliæ, & Scotiæ erecta fuerunt, cum inscriptione itidem tituli Reginæ, atque aureis literis, sub imaginibus Regis atq; Reginæ, in utraq; oppidi porta, hæc carmina inscripta fuerunt.

Gallia perpetuis pugnaxq; Britannia bellis
Olim odio inter se dimicuere pari.
Nunc Gallos, totoq; remotos orbe Britannos,
Vnum dos Mariæ, cogit in Imperium.

Responsũ interim indies expectabatur, à Martij duodecimo, usque ad uicesimum, sed frustrà quidem. Quod factum, tulit etiam Serenissima Regina, & in literarum expectatione acquieuit, tandem Episcopus aiebat moris esse Aulæ Gallicæ, cum Oratorem ad aliquem Principem legant, responsum quidẽ non dare, ad ullas causas ab eo Principe propositas, antequam literas à suo Oratore accipiant.

Ista

Ista excusatio accepta quoque est, quoniã spes erat, postquam ille in Galliam scriberet (quod aiebat se facturum) responsum statim in Angliã aliquod mittendum fore. Atque ut præclara illa uoluntas, studiumq́ perueniendi ad maturum aliquem concordiæ exitum, de quo tam crebram mentionem facit Orator, planè refutetur: à duodecimo Martij, ad ultimum eiusdem Mensis, nullum omnino responsum, ad hos articulos obtineri poterat. Imò ab ultimo Martij, ad hunc usque diem, nullum certum responsum, uel hic, uel in Gallia poterat haberi. Et hunc morem, communi consensione obtinent: & obseruant omnes isti Gallici ministri, qui uersati sunt in tractandis his negotijs: uerbis nonnunquam obtulerunt sese paratos, ad concordiam ineundam, sed semper apertis factis, persecuti sunt omnes priores iniurias, & auxerunt etiam easdem, intra hos paucos dies: nec cessarunt, omnia ad bellum undique comparare. Ad tractandum de concordia seriò nunquam, simulatè sæpè accesserunt, ad summa denique momenta rerum, certè directéque nunquam responderunt, licet multis modis, uarijsq́ temporibus, ut hoc facerent, postulatum fuit. Ad hunc modum tractatum est hoc negotium, solummodo ut potirentur oportunitate rerum gerendarum: ut augerent magnitudinem impensarum suæ Maiestatis, ut ab omni apparatu ad

bellum, essent instructiores, & obtinerent ab inuictissimo Rege Catholico, quod tantoperè expetunt. Qui, absque dubio, quātacunque importunitate, atq; solicitatione Galli elaborauerunt, ut causam suam probent, & persuadeant: tamen auita illa & mutua inter utrarumq; Maiestatum suarum, maiores amicitia, singularis eius æquitas, eximia integritas, & summa prudentia, quas tres res, in omni quam suscipit actione, semper adhibet, sic nos securos reddunt, ut cum plenè intellexerit, quid tentarunt Galli contrà hoc Regnum Angliæ, iudicaturus sit de illis, quomodo omnes eius antegressi maiores, iustissimis de causis semper iudicauerunt. Neque dubitat sua Maiestas, quin clarissimus dominus de Glasion, & Reuerendus pater Episcopus Aquilanus, qui plenè adiuerunt omnia hæc negotia, sic eadē sint explicaturi, ut ab eis inuictissimus Rex Catholicus, suæ Maiestatis charissimus frater, sit fusè accepturus, nihil à sua Maiestate in omnibus istis negotijs factum esse, quod non ad defendendum suum honorem, ad propugnandum pro suorum salute solummodò pertineat. Patet igitur nunc cuiuis homini, communi sensu, rationeq; imbuto, suam Maiestatem, & accepisse iniuriam, & quæsiuisse remedium: cum Galli contrà, & iniuriarū authores, & fœderum, pacisq; uiolatores existant, qui factis

con-

concordiam abhorrent, uerbis de ea mentionem solummodò faciunt.

Propterea, sua Maiestas commota scripto Oratoris Galliæ, curauit, ut declaratio harum rerū, multò fusius tractetur, quam ipsa alias facere uoluerat: Et summatim sic concludit, quod licet onerare iure possit Gallorum Regem, & transgressione fœderis, & uiolatione Pacis, tamen tenetur illa maiori desiderio finiendi, quam offerendi ullas iniurias. Ideoq; offert, si reuocatio utrinque militum, iudicabitur communi consensu, posse aliquid facere ad constituendum hos motus, pro sua parte, in id se uelle consentire, & id præstare, in animo omnino habet. Sin autem uisum fuerit Gallorum Regi, nominare certos ullos Commissarios, nominabit sua Maiestas itidem pro se, æquos & æquales: curabitq; diligenter, ut primo quoque tempore conueniant, facietq; cum in aliquem idoneum locum conuenerint (si hoc facere utrinque uisum fuerit) ut abstinentia ab omni prorsus hostili more sanciatur, modo spes sit ex hac communicatione, ad concordiam firmandam alendamq;, aliquid boni posse proficisci. In qua tractatione, sua Maiestas non cogitat in ullam disquisitionem, disceptationèmue committere usum suorum insignium atque tituli, in animo habens, tueri atque reseruare suum honorem, Ius atque titulum, ad Ma

 iestatem

testatem huius sui Regni, extra omnē disputationē. Et contenta erit, referre modum cessandi ab insignium gestatione, & tituli usurpatione per Gallos, & satisfactionem etiam factarum Iniuriarū, ad charissimum fratrem suum, Regem Catholicum, (si ita etiam uisum fuerit Gallorum Regi) sin aliter, ad decisionem æquorum æqualiumq́; Comissariorum.
Postremò Maiestas sua protestatur, se nunquam hac mente fuisse, uel fauere, uel fouere ullos in Scotia, qui obedientiam suam, Gallorum Reginæ denegarent: sed ex imis precordijs, à Deo Optimo maximo præcatur, omnibusq́; optat uotis, talem cōcordiam inter Scotorum Reginam, & illud Regnum posse intercedere, ut potiri possint illa, debita sibi obedientia, Gens ipsa iusto suo iure, & denique, ut optata, dulcis, perpetuaq́; pax, inter suas Maiestates, eorumq́; imperia omnia, alatur atque floreat.
Hæ cogitationes, tam fixas altasq́; radices egerūt in corde suæ Maiestatis, ut in uerbo Christianæ Principis, in conspectu summi Dei protestetur, se nunquam cogitauisse, neque nunc cogitare, ullū bellum sua sponte uel Galliæ, uel ulli christiani nominis nationi, aut per se inferre, aut ab alijs illatum fouere: Non habet in animo ullas confœderationum conditiones uiolare. Non omittet quicquam, (modo id cum suo honore, suo iure, suorumq́; salute, atq; se-

curitate

curitate stare potest) quod ad pacem, cum Gallorū Rege, & omnibus alijs etiam Principibus, firmam perpetuamq; stabiliendam possit pertinere. Sin hoc Maiestatis suæ propositum, optatum ab illa, exitum habere non poterit, sed propter Iniurias intollerabiles, oblatas huic Regno per Gallos, propter apertam confœderationis uiolationem, & denique propter recusationem eorum, ut remedium ullum, his sanandis malis procuretur, bellum deinceps exoriatur. quod ut auertat Deus, sua Maiestas precatur: tum quidem eo modo, sua protestatur Maiestas, (quod contestatum esse uult uniuerso orbi) uiolationem fœderum & causas omnes belli, à Gallis omninò proficisci: & suæ Maiestati, nihil magis molestum, nihil magis odiosum ipso bello, posse accidere.

Londini
apud Reginaldum Vuolfium,
Regiæ Maiest. in
Latinis typo-
graphum.

Cum priuilegio Regiæ Maiestatis.

Ἡ ἀγάπη οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς



μακροθυμεῖ, οὐ ζηλοῖ, πάντα στέγει.

Charitas non quærit quæ sua sunt,

Patiens est, non inuidet, omnia suffert,